

buimus, et contriti atque luctu gravissimo sauciati, ad ultimam desperationem pervenimus, ut ad illius iudicium metropolita noster cogeretur occurtere, cum quo causa ipsa esse dinoscitur et cuius communionem ab initio motionis causae huius usque nunc decessores nostri et nos cum omni populo evitamus. Et quidem memoratum beatissimum archiepiscopum nostrum frequenti contestatione convenimus, ne, nobis absentibus et a se ad praesens divisis, de communica causa ecclesiae aliquid audeat definire, quoniam, piissime domine, sic accensi sunt omnes homines plebium nostrarum in causa ista, ut ante mortem perpeti, quam ab antiqua catholica patientur communione divelli.

Revera, clementissime dominator, fidem catholicam conservantes et Chalcedonensis concilii definitiones in omnibus venerantes, ut quibuslibet occasionibus contingenientur, nec Deo, nec vestrae pietati placere credendum est. Ergo, mitissime dominator, totius concilii nostrae parvitatis haec est deliberatio, sicut et eidem patri et archiepiscopo nostro scripsimus, ut pro reddenda ratione communionis nostrae, contrito, Dei iudicio, iugo barbarico, opportuno tempore ad vestrae pietatis vestigia occurramus, habentes prae oculis exempla fidelia, quibus edocti sumus, cum omnes intentiones sopitae sunt. Sic Theodosii senioris Constantinopolitana synodus, Deo propitiante, sedatis est scandalis confirmata; sic deinde Ephesina prima synodus, divae memoriae Theodosio iuniore disponente, bene noscitur definita; sic ad postremum praesentia Marciani divi principis, abscissis omnibus scandalis, pax catholica in Chalcedonensi concilio reformata est. Nam per absentiam christianissimorum principum in Ephesina secunda episcoporum congregatione a Dioscoro Alexandrino Flavianus, sanctissimus regiae vestrae urbis episcopus, veritatem catholicae fidei defendens occisus est, aliquique episcopi assertores orthodoxae fidei in custodia (*B.: jniuste*) deiecti sunt, et scandalum ecclesiae pessimum generatum est, quod cum magno labore posteas divae memoriae Marcianus imperator, avus vestrae pietatis, sua praesentia in sancto Chalcedonensi concilio amputans, catholicam pacem universalis ecclesiae restauravit.